

pecte ipsius Dei; illi enim omnis ejus potentia maxime connaturalis est, quia ex propria naturali perfectione illi convenit; sed denominatur supernaturalis in ordine ad actiones, quæ sunt supra naturam rerum creaturarum; de quibus disputare proprium est Theologorum.

*De divina providentia.*

52. Atque hæc sint satis de divina potentia; de actionibus vero ejus, nihil hic occurrit addendum iis quæ de causalitate causæ primæ in superioribus dicta sunt. Et ideo etiam hic nihil specialiter addimus de divina providentia, quia hæc præter scientiam, voluntatem et operationem, nil addit, sed formaliter dicit rationem, qua Deus ab æterno decrevit res hujus universi gubernare, easque per media convenientia in suos fines dirigere. Cum ergo ostensum sit, et totum hunc mundum a Deo esse conditum, ordinando omnes partes ejus ad unum finem, seu commune bonum, et nihil in eo fieri sine Dei influxu ac voluntate, constat habere Deum in mente sua rationem æternam, qua hic mundus regitur, quæ providentia dicitur. Quam licet nonnulli philosophi, vel omnino, vel ex parte ignoraverint, ut Plin., lib. 1, cap. 7, et Cicero, et alii, qui scientiam rerum particularium aut contingentium Deo denegarunt, graviores tamen philosophi eam agnoverunt, præsertim Seneca, lib. de Provid., ubi ait, superfluum esse ostendere tantum opus non sine aliquo custode stare. Idem, lib. 1 Natur. quæst., Aristot. idem significavit in his quæ supra retulimus, et 2 Phys., ubi ait naturam, ut est sub primo agente intellectuali, operari propter finem, et 12 Metaph., cap. 10, inde concludit unum esse principem, ut optima sit universi gubernatio, et 10 Ethic., cap. 8, Deo tribuit curam humanarum rerum. Plato etiam, in Epimenide, recte sentit de providentia; quod etiam ex Plotino Platonico refert D. Augustin., lib. 20 de Civit., cap. 14, ubi etiam Vires nonnulla congerit. Cicero etiam citra res humanas et liberas in reliquis non male sentit de providentia, ut constat ex somnio Scipionis, et ex lib. 1 de Natura Deorum. Verum philosophi præcipue attigerunt providentiam quoad conservationem hujus universi, et quoad cursum rerum, et corporalium effectuum qui in eo fiunt. De morali autem providentia rerum humanarum pauca dicunt, et præsertim de præmio honorum, et supplicio malorum, circa quas res versantur po-

tissimæ difficultates, quæ de divina providentia tractari possunt; sed illæ omnino conjunctæ sunt cum his quæ ad divinam gratiam et supernaturalem providentiam spectant; nam de his quæ pertinent ad generalem concursum cum libero arbitrio, jam supra dictum est, et ideo cætera Theologis relinquimus.

DISPUTATIO XXXI.

DE ESSENTIA ENTIS FINITI UT TALE EST, ET DE ILLIUS ESSE, EORUMQUE DISTINCTIONE.

Postquam dictum est de primo ac præcipuo ente, quod et est totius metaphysicæ primarium objectum, et primum significatum et analogatum totius significationis et habitudinis entis, dicendum sequitur de altero membro in prima divisione proposito, id est, de ente finito et creato. Quia vero illud non est unum simpliciter, sed tantum secundum abstractionem, seu communem rationem, pluresque ac varias rationes entium sub se comprehendit, ideo ad hujus membri expositionem duo faciendæ sunt: prius declarandum est in quo posita sit communis ratio entis creati seu finiti, quod in hac disputatione propositum est; deinde divisiones vel subdivisiones ejus tradendæ sunt, usque ad ultimas rationes entium quæ sub objecto metaphysicæ superius posito comprehenduntur.

SECTIO I.

*An esse et essentia entis creati distinguantur in re.*

1. Quoniam, ut in superioribus visum est, ens, in quantum ens, ab esse dictum est, et per esse, vel per ordinem ad esse habet rationem entis, ideo ad declarandum rationem entis creati, a comparatione essentia et esse initium sumimus. De qua multa tractanda occurrunt, quæ ad intelligendam essentiam entis creati ut sic, et proprietates ejus omnino necessaria sunt; radix vero omnium est id quod proposuimus, scilicet, quomodo esse et essentia distinguantur.

2. Suppono autem per esse nos intelligere existentiam actualem rerum, ne sit æquivocatio in verbis, nec sit necessarium postea distinguere de esse essentia, existentia, aut subsistentia, aut veritatis propositionis. Nam esse essentia, si vere condistinguitur ab existentia, nihil rei addit ipsi essentia, sed so-

lum differt ab illa in modo quo concipitur vel significatur; unde, sicut essentia creaturæ ut sic, ex vi sui conceptus non dicit quod sit aliquid reale actu habens esse extra causas suas, ita esse essentia ut sic, præcise in illo sistendo, non dicit esse actuale, quo essentia extra causas constituatur in actu; nam si esse in actu hoc modo non est de essentia creaturæ, nec pertinere poterit ad esse essentia ejus; ergo esse essentia creaturæ ut sic ex se præscindit ab esse actuali extra causas, quo res creata fit extra nihil, quod nomine esse existentia actualis significamus. Esse autem subsistentia, et contractius est quam esse existentia; hoc enim substantia et accidentibus commune est, illud vero est substantia proprium; et præterea esse subsistentia (ut suppono ex infra probandis) distinctum quid est ab esse existentia substantialis naturæ creatæ, et separabile ab ipso, quia non constituit naturam in ratione actualis entitatis, quod pertinet ad existentiam. Esse autem veritatis propositionis, ex se non est esse reale et intrinsecum, sed est esse quoddam objectivum in intellectu componente, unde convenit etiam privationibus. Sic enim dicimus, cæcitatem esse, vel hominem esse cæcum, ut latius Arist., 5 Metaph., capite septimo. Est ergo sermo de existentia creata. De qua præterea supponimus esse aliquid reale et intrinsecum rei existenti, quod videtur per se notum. Nam per existentiam res intelligitur esse aliquid in rerum natura; oportet ergo ut et ipsa aliquid reale sit, et sit intima, id est, intra ipsam rem existens. Nec enim res esse potest existens per aliquam extrinsecam denominationem, vel aliquod ens rationis; alioqui quomodo existentia constitueret ens actu reale, et extra nihil?

*Prima sententia affirmans distinguere realiter.*

3. De hac igitur existentia creaturæ variæ sunt opiniones. Prima est, existentiam esse rem quamdam distinctam omnino realiter ab entitate essentia creaturæ. Hæc existimatur esse opinio D. Thomæ, quam in hoc sensu secuti sunt fere omnes antiqui Thomistæ. Loca D. Thom. præcipua sunt, 1 part., q. 3, art. 4, 2 cont. Gent., cap. 52, de Ente et essent., c. 5, 4 Metaph., lect. 2. Quæ sic interpretatur Capreol., in 1, dist. 8, art. 1, q. 1; Cajet., loc. cit. 1 part., de Ente et essent.; Ferrar., dicto loco cont. Gent.; Soncin., in 4 Metaph., quæst. 12; Javellus, tract. de Trans-

cedent. Item Ægid., in 1, d. 2, quæst. 4, art. 1, et latissime de Ente et essent., q. 9, et sequent., et Quodl. 1, q. 2. Citantur etiam Albert., sup. lib. de Causis, propos. 8; Avicen., lib. quinto suæ Metaph., cap. primo.

4. Argumenta, quibus hæc sententia suaderi solet, multa sunt. Primum<sup>1</sup>, quia prædicata essentialia conveniunt creaturæ absque interventu causæ efficientis; propter hoc enim ab æterno fuit verum dicere, hominem esse animal rationale; sed existentia non convenit creaturæ, nisi per causam efficientem, et ideo non potest creatura dici actu esse, nisi facta sit; ergo esse creaturæ est res distincta ab essentia ejus, quia non potest una et eadem res esse, et non esse per efficientem causam. Quod si dicas, cum fit creatura, non solum fieri esse, sed etiam essentiam creaturæ, respondetur, non fieri essentiam, sed fieri essentiam sub esse, seu fieri essentiam existentem, et ideo non sequi essentiam factam distingui ab essentia absolute, nisi ratione existentia, quam illi addit.

5. Secundo argumentor<sup>2</sup>, quia esse creaturæ est esse receptum in aliquo; ergo in essentia, non enim potest excogitari aliud in quo recipiatur; ergo est res distincta ab essentia, non enim potest eadem res in seipsa recipi. Primum antecedens probatur, quia esse irreceptum est esse per se subsistens ex vi suæ actualitatis; nam est omnino abstractum a subjecto vel potentia, in qua recipiatur: est ergo esse perfectissimum et summum, atque adeo purus actus, et infinitum quid in ratione essendi; ergo repugnat esse creaturæ esse omnino irreceptum. Et confirmatur, quia tale esse non habet unde limitetur; non enim limitatur a potentia in qua recipiatur, si illam non habet, neque etiam ab actu seu a differentia, quæ se habeat per modum actus respectu existentia; nam cum existentia sit ultima actualitas, non constituitur per actum quo limitetur. Ut ergo esse creaturæ sit finitum et limitatum, necesse est ut sit actus essentia, in qua recipitur, et per quam limitatur.

6. Tertia ratio sit, quia omnis creatura est composita vera et reali compositione; sed prima et generalis compositio realis solum esse potest ex esse et essentia; ergo compo-

<sup>1</sup> Hæc prima ratio tractatur late infra, sect. 12, in fine.

<sup>2</sup> Hæc secunda ratio tractatur late infra, sect. 13.

nitur omnis creatura ex esse et essentia, tanquam ex actu et potentia realiter distinctis. Major constat, quia si daretur aliqua creatura, in qua nulla esset realis compositio, daretur aliqua creatura omnino simplex; ut substantia Angeli actu existens, si non componeretur ex esse et essentia, esset substantialiter et omnino simplex, atque ita quodam modo adæquaret perfectionem divinam. Quod si dicas, in ea posse remanere compositionem ex genere et differentia, aut ex natura et supposito, et ex subjecto et accidente, nihil horum satisfacit, quia prima compositio non est realis, sed rationis; unde non excludit perfectam simplicitatem realem. Secunda vero compositio primum non est universalis omnibus rebus, quia non convenit accidentibus; deinde eandem habet controversiam quam compositio ex esse et essentia; si ergo illa admittitur in substantiis creatis, cur non etiam hæc? Tertia tandem compositio non est ad constituendam substantiam; nunc autem agimus de compositione et simplicitate substantiali. Ac deinde sumitur ex his universale argumentum, quia sequitur, saltem de possibili, non repugnare creaturæ ut sic carere omni compositione reali, atque adeo esse summe simplicem, quod est inconveniens, quia hoc videtur esse proprium Dei. Et sequela patet, tum quia non est cur magis repugnet cæteras compositiones excludi, quam hanc ex esse et essentia; tum etiam quia potest conservari simplex natura substantialis sine ullo accidente.

7. Quarto<sup>1</sup>, in substantia composita ex materia et forma, esse est quid distinctum a materia et a forma, et a natura composita ex utraque; ergo est res distincta a tota essentia talis substantiæ; ergo idem erit in reliquis entibus creatis. Hæc consequentia est evidens quoad res minus perfectas; quoad res vero perfectiores, ut sunt substantiæ spirituales, videri potest infirma, quia illæ substantiæ, sicut sunt perfectiores, ita possunt esse simpliciores. Nihilominus tamen juxta subjectam materiam est optima illatio, tum quia si in aliqua re creata admittitur realis distinctio esse ab essentia, nulla potest ratio afferri ob quam negetur distingui in aliis, quia si non repugnat distingui ex vi esse et essentia, ut sic, non repugnabit ex vi talis essentia et talis esse creati. Tum etiam quia si in aliqua

<sup>1</sup> De hac quarta ratione late disseritur infra, section. 11.

creatura reperiuntur distincta esse et essentia, non est ex eo quod talis est, sed ex eo quod creatura est, et quia in illa comparatur essentia ad esse, sicut potentia ad actum, qui est extra quidditatem ejus, et sine quo concipi potest, quæ rationes communes sunt omni creaturæ. Superest ut probemus primum antecedens, quod probatur primo, quia vel esse naturæ substantialis compositæ est una simplex entitas, vel composita; composita esse non potest, ut ostendam; si autem sit simplex, non potest esse materia, ut per se notum videtur, neque etiam forma, tum quia est fere eadem ratio, tum etiam quia jam concludetur, essentiam materiæ existere per existentiam a se realiter distinctam, cum forma a materia realiter distinguatur, et tunc procedent omnes rationes factæ, ut idem dicendum sit de qualibet essentia creata. Neque etiam esse posset illa entitas idem cum tota essentia composita ex materia et forma, quia non potest simplex entitas esse eadem res cum re composita ex rebus distinctis; nam involvitur aperta repugnantia; si ergo tale esse est simplex entitas, oportet ut sit res omnino distincta a tali essentia.

8. Quod vero illud esse non sit composita entitas, sed simplex, probandum est primo, quia alias oporteret in illo esse distinguere partes ex quibus componitur. Ex quo sequeretur primo, unam ex illis partibus esse idem cum materia, et alteram cum forma, atque ita non haberet materia esse a forma, sed ex se; unde non erit pura potentia, sed ex se habebit aliquem actum, contra communem philosophorum sententiam. Sequitur secundo, ex materia et forma non fieri unum simpliciter, quia ex duobus entibus in actu non fit unum simpliciter. Sequitur tertio, materiam quantum est ex se posse esse sine forma, et quamcumque formam sine materia, non modo de absoluta potentia, sed ex sua natura. Consequens autem quoad priorem partem est contra philosophiam, quoad posteriorem vero etiam contra fidem; alioqui animæ brutorum essent immortales. Sequela vero quoad primam partem probatur, quia si materia habet existentiam partialem, vel illa est sufficiens ad constituendam materiam extra causas suas, et sic habetur intentum, scilicet, quod licet desit forma, conservabit illam. Vel est in sufficiens, et sic revera non est existentia, quia de ratione existentia est ut sit sufficiens ad constituendam rem extra causas suas: sicut repugnat esse albe-

dinem, et non esse ex se sufficientem ad constituendum album. Item, quia si materia non potest existere, nisi dependenter a forma, et a toto composito, cujus existentia terminari et actuari potest, superfluum fuisset dari illi propriam partialem existentiam. Item quia si materia habet propriam existentiam, per illam intelligitur prius natura existere, quam actuari per formam; ergo quamvis separaretur actualitas formæ, manebit materia ex vi propria existentia, quia prius non pendet a posteriori. Atque hæc rationes probant etiam alteram partem, scilicet, quod omnis forma possit naturaliter manere existens, etiamsi separaretur a materia, nempe quia habet propriam existentiam sufficientem ad constituendum illam extra causas suas, per quam prius natura, atque adeo sufficienter existit. Unde Theologi, præsertim D. Thomas, inde præcipue colligunt animam rationalem esse immortalem, quia secum affert proprium esse, quod primo illi convenit, et per illam toti homini communicatur.

9. Ultimo sequitur, ex his duabus partialibus existentibus unam comparari ad aliam, ut potentiam ad actum; consequens est falsum; ergo. Sequela patet; nam præter illas partiales existentias, necesse est constituere integram existentiam et totalem totius naturæ, quæ non potest esse simplex, et omnino condistincta a partialibus existentibus, ut per se est evidens ex omnibus dictis; et quia alias superflue essent partiales existentia in homine, est evidens non posse fingi talem existentiam totalem et simplicem omnino condistinctam ab existentia animæ, quia nec spiritualis esset, nec corporalis, cum ponatur ut adæquate comitans et actuans substantiam ex corpore et spiritu constantem, et ab illa pendens. Oportet ergo ut talis existentia constet ex partialibus; ergo etiam necesse est ut illæ partiales existentia per se uniantur ad constituendam unam existentiam totalem. Alioqui illa totalis non esset existentia per se una, sed aggregatum plurium; ergo necesse est, alteram illarum existentiarum partialium comparari ad aliam, ut potentiam ad actum, alioqui non possent per se uniri. Hoc autem ultimum consequens, esse falsum probatur, quia esse est ultima actualitas cujuscumque rei; imo ex propria ratione est pura actualitas nullam habens potentialitatem admistam secundum se, sed solum ratione essentia vel naturæ, cujus est

esse. Propter quod dicitur existentia perfectior esse omni forma substantiali, quia plus habet actualitatis quam ipsamet forma, ut sumitur ex D. Thom., prima parte, quæst. 4, art. 1, ad 3.

10. Quinto<sup>1</sup>, præter rationes metaphysicas adjungere possumus Theologicam rationem, quia essentia creata separatur in re ipsa a sua existentia; ergo distinguitur realiter ab illa. Consequentia probatur ex dictis superius de distinctionibus rerum. Antecedens solet communiter probari, quia res creatæ cum corrumpuntur vel annihilantur, amittunt existentiam, non vero essentiam. Unde per rei corruptionem separatur existentia ab essentia. Melius vero probatur illud antecedens ex duplici mysterio fidei. Unum est Eucharistiæ, in quo per consecrationem quantitas amittit naturalem existentiam, per quam existebat in pane, et acquirit aliam, quæ per se existit, et potens est reliqua accidentia sustentare. Aliud est incarnationis mysterium, in quo humanitas Christi propria et naturali caret existentia, et assumpta est, ut per existentiam increatam divini Verbi existat.

*Secunda sententia ponens distinctionem modalem.*

11. Secunda sententia est, esse creatum distingui quidem ex natura rei, seu (ut alii loquuntur) formaliter, ab essentia cujus est esse, et non esse propriam entitatem omnino realiter distinctam ab entitate essentia, sed modum ejus. Hæc opinio tribuitur Scot., in 3, dist. 6, quæst. 1; et Henric., Quodl. 4, q. 9 et 10; de quorum sententia postea dicam. Eandem opinionem tenuit Soto, 1 Phys., quæst. 2, et in 4 Sent., dist. 10, quæst. 2; et nonnulli moderni eam sequuntur. Fundamentum eorum est, quia nonnulla distinctio ex natura rei inter esse et essentiam creaturæ videtur omnino necessaria; non est autem necessaria major, quam hæc modalis seu formalis; ergo non est major asserenda, cum distinctiones non sint sine necessitate multiplicandæ. Majorem videntur primo convincere omnia quæ in favorem primæ sententia adducta sunt. Secundo, videtur probari efficaciter, quia quod est extra essentiam rei, necesse est distingui ex natura rei, saltem formaliter, ab essentia rei; sed esse est extra essentiam creaturæ, et videtur evi-

<sup>1</sup> De hac quinta ratione late infra, sect. 12.

dens, cum sit separabile ab ipsa. Unde hæc enunciatio, *Creatura est*, non est per se necessaria et essentialis, sed contingens: ergo. Tertio, quia alias creatura esset suum esse, et consequenter purus actus, quod est creaturæ tribuere id quod est proprium Dei. Unde Hilarius, lib. 9 de Trinit., Deo tribuit tanquam proprium illi, *quod esse non accidit illi*, sed est ipsum esse subsistens; et Boet., lib. de Hebdom., cap. 1, *in rebus creatis* (ait) *diversum esse id, quod est, ab esse*. Minor probatur, quia hæc distinctio sufficit ut unum sit extra essentiam alterius, et ad veram et realem compositionem, quia ubicumque in rebus intercedit distinctio, fit ex extremis sic distinctis vera compositio. Item illa distinctio satis est ut unum extremum sit per divinam potentiam separabile ab alio, quamvis non sufficiat ad mutuam seu convertibilem separationem, ut in superioribus dictum est. Ex quo potest hæc sententia confirmari; nam, licet essentia creata sit separabilis a proprio esse, e converso tamen ipsum esse non est separabile ab essentia creaturæ; hactenus enim factum non est, nec verisimile est fieri posse ut conservetur existentia albedinis non conservata albedine, et homo habeat existentiam albi, et non sit albus, et sic de aliis; ergo signum est, non esse realem distinctionem inter essentiam et existentiam, sed tantum modalem. Omitto rationes alias quæ ad suadendas has sententias fieri solent, quia non habent peculiarem difficultatem, quæ in his, quæ propositæ sunt, non contineatur.

*Tertia sententia ponens solam distinctionem rationis.*

12. Tertia opinio affirmat essentiam et existentiam creaturæ, cum proportionem comparata, non distingui realiter, aut ex natura rei tanquam duo extrema realia, sed distingui tantum ratione. Ita tenuit expresse et optime declaravit Alexander Alensis, 7 Metaph., ad text. 22. Tenuit etiam Aureolus, apud Capreolum, in 1, dist. 8, quæst. 1, ubi Capreol. citat etiam Henricum, Godofredum, et Gerardum de Carmelo pro eadem sententia. Et ibi Durand., in prima parte d., quæst. 2, eandem tenet; et Gabriel, in 3, dist. 6, et ibi cæteri Nominales. Et Hervæus, Quodlib. 7, quæst. 9; Gregorius, in 2, dist. 6, quæst. 1, ad arg. Aureoli. Et hanc opinionem Scotistæ sequuntur, ut patet ex Anton. Andrea, 4 Metaph., quæst. 3; Lich., 3, dist. 6. Eandem tenet Alexand. Achillinus, lib. 1 de Ele-

ment., dub. 3; Palacios, in 1, d. 8, disput. 1; Joan. Alens., in lexico Theologico, verbo *Esse*. Hanc etiam opinionem in re tenet Niphus, lib. 4 Metaphys., disp. 5, licet in verbis differat, et in fine disputationis contendant controversiam esse de modo loquendi. Rursus ibi distinguit, ex sententia Aristotelis et Peripateticorum, inter creaturas corruptibiles et incorruptibiles, ut in illis distinguitur existentia ab essentia, non vero in his, quod etiam tenet Joannes Gandens., 4 Metaph., c. 3. Hoc vero non est hoc loco examinandum, quia pendet ex illa quæstione, an hæc res, iudicio Aristotelis, sint a Deo productæ, necne; de qua jam supra dictum est. Videtur etiam Fonseca, lib. 4 Metaph., c. 3, quæst. 4, nihil in re dissentire ab hac sententia, ut a nobis declarabitur, licet secundam sequi verbis profiteatur. Possunt etiam in favorem hujus sententiæ adduci omnes Theologi, qui sentiunt humanitatem non potuisse a Verbo assumi sine propria existentia nam id recte fundari non potest nisi in identitate essentiæ et existentie naturæ creatæ, de qua re legi possunt, quæ in 4 tom. tertiæ partis scripsimus.

*Tertia sententia exponitur et approbatur.*

13. Hæc opinio tertia sic explicanda est, ut comparatio fiat inter actualem existentiam, quam vocant esse in actu exercito, et actualem essentiam existentem. Et sic affirmat hæc sententia existentiam et essentiam non distingui in re ipsa, licet essentia, abstracte et præcise concepta, ut est in potentia, distinguatur ab existentia actuali, tanquam non ens ab ente. Et hanc sententiam sic explicatam existimo esse omnino veram. Eiusque fundamentum breviter est, quia non potest res aliqua intrinsece ac formaliter constitui in ratione entis realis et actualis, per aliud distinctum ab ipsa, quia, hoc ipso quod distinguitur unum ab alio, tanquam ens ab ente, utrumque habet quod sit ens, ut condistinctum ab alio, et consequenter non per illud formaliter et intrinsece. Sed quia vis hujus rationis et plena decisio hujus quæstionis, cum solutionibus argumentorum, pendet ex multis principiis, ideo ut distinctius procedatur, et absque terminorum æquivocatione, quam vereor esse frequentem in hac materia, paulatim procedendum est, et distinctis sectionibus singula sunt explicanda.

## SECTIO II.

*Quid sit essentia creaturæ, priusquam a Deo producat.*

Quæstionis resolutio.

1. Principio statuendum est, essentiam creaturæ, seu creaturam de se, et priusquam a Deo fiat, nullum habere in se verum esse reale, et in hoc sensu, præciso esse existentie, essentiam non esse rem aliquam, sed omnino esse nihil. Hoc principium non solum verum est, sed etiam certum, secundum fidem. Unde Waldensis, lib. 1 Doctrin. fidei antiq., cap. 8, merito ponit inter errores Wicleff., quod dixerit creaturas habere ab æterno aliquod esse reale distinctum ab esse Dei; et Thomistæ graviter reprehendunt Scotum, quod asseruerit creaturas habere quoddam esse æternum, quod est esse diminutum earum, scilicet esse objectivum seu essentia in esse cognito, ut videre licet in Cajetano et aliis recentioribus, 1 part., quæst. 17, art. 5, qui existimant illud esse cognitum, ex sententia Scoti, esse aliquod esse reale distinctum ab esse Dei, quod quidem merito impugnant tanquam omnino falsum, et principis fidei contrarium; immerito tamen id Scoto attribuunt, nam ipsemet Scotus diserte declarat hoc esse cognitum, quod veluti resultat in creaturis ex scientia Dei, non esse in illis aliquod esse reale intrinsecum ipsis, neque esse sufficiens ad fundandam relationem realem, sed rationis tantum, ut videre licet in ipso Scot., in 1, dist. 35, § Ad ista, et dist. 36, § Ad secundum dico, et in 2, dist. 1, quæst. 1, articulo secundo, et in Quodlib., quæst. 1, et 14, art. 2. Neque potuit Scotus aliud sentire; nam ponit hoc esse cognitum, tam necessario convenire creaturis, quam convenit Deo ipsi scire creaturas, quod non pendet ex voluntate seu libertate Dei; esset autem erroneum dicere, Deum ex necessitate et absque libertate communicare creaturis aliquod esse reale participatum ab ipso, quantumvis diminutum, cum de fide sit, Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suæ. Igitur hac in parte Scotus nobiscum convenit in principio posito, quod essentia creaturarum, etiamsi a Deo sint cognitæ ab æterno, nihil sunt, nulloque verum esse reale habent, antequam per liberam Dei efficientiam illud recipiant.

2. Quin potius idem Scotus, in allegata

dist. 36, impugnat Henricum, eo quod variis locis asseruerit essentias rerum ex se habere quoddam esse essentia, quod vocat esse reale, æternum et improductum, conveniens creaturis independentem a Deo, quodque in eis supponitur, non solum ante efficientiam, sed etiam ante scientiam Dei, ut ratione illius possint esse objecta illius scientiæ divinæ, quam Theologi simplicem intelligentiam vocant. Ita scribit Henricus, in Summ., articulo tertio, quæst. 23 et 25, et Quodlib. 8, q. 1 et 9, et Quodlib. 9, q. 1 et 2, et Quodlib. 11, q. 3. Cujus sententiam impugnant etiam Thomistæ, ut patet ex Hervæo, Quodlib. 11, q. 1; et Soncinat., 9 Metaph., q. 4; et recentioribus D. Thom. expositoribus, 1 part., q. 10, articulo tertio, q. 46, art. 1. Quanquam a sententia et modo loquendi Henrici non multum discrepet Capreolus, in 2, dist. 1, quæst. 2, art. 3, ad quartum argumentum Aureoli contra quartam conclusionem, ubi respondens Aureolo, interroganti an, cum res creatur, fiat id quod omnino nihil erat, dici fieri quidem id quod erat nihil esse existentie, et addit: *Erat autem ultra nihilitatem, quæ est carentia actualis existentie, essentia in esse essentia, quæ, absolute considerata ut natura vel quidditas, est substrahibilis nihilitati existentie, et quidditati existentie, hoc est, ipsi esse vel non esse actualis existentie, et ipsa secundum se semper est aliquid in genere essentialium, et in esse intelligibili, et in potentia activa creatoris, licet non in esse reali actuali, ut declarant Henricus, Godofredus, et Bernardus de Gannaco.* Hoc vero esse essentia ita postea Capreolus declarat, ut ex parte creaturæ antequam a Deo producat, non existimet esse aliquam veram rem distinctam a Deo, quæ sit simpliciter extra nihil, sed ut ex parte creaturæ dicat quamdam aptitudinem, seu potius non repugnantiam, ut in tali esse a Deo producat; in hoc enim distinguuntur essentia creaturarum a rebus fictitiis et impossibilibus ut chymera, et hoc sensu dicuntur creaturæ habere reales essentias, etiamsi non existant; dicuntur autem habere, non actu, sed potestate, non per potentiam intrinsecam, sed extrinsecam creatoris, atque ita dicuntur habere non in se, sed in causa sua, vel materiali, sicut res generabilis dicitur esse in potentia materiæ primæ, vel effectiva, quomodo totum ens creabile in potentia Dei continetur antequam fiat, de cujus essentia possibili in communi nunc agimus. Atque hoc etiam mo-

do dicitur talis essentia, antequam fiat, realis, non propria ac vera realitate quam in se actu habeat, sed quia fieri potest realis, recipiendo veram entitatem a sua causa, quæ possibilitas (ut statim latius dicam) ex parte illius solum dicit non repugnantiam, ut fiat; ex parte vero extrinsecæ causæ dicit virtutem ad illam efficiendam. Atque eodem modo et ratione, esse, quod appellant essentia ante effectiorem, seu creationem divinam, solum est esse potentiale objectivum (ut multi loquuntur, de quo statim), seu per denominationem extrinsecam a potentia Dei, et non repugnantiam ex parte essentia creabilis.

3. Nec potuit in mentem alicujus Doctoris Catholici venire, quod essentia creaturæ esse, et absque efficientia libera Dei, sit aliqua vera res, aliquid verum esse reale habens distinctum ab esse Dei, quod tandem fatetur expresse Capreolus, citato loco, allegans verba D. Thomæ, quæst. 3 de Potentia, art. 5, ad 2, ubi sic ait: *Ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.* Et ratione probatur ex principiis fidei, quia solus Deus est ens ex se necessarium, et sine illo factum est nihil, et sine effectiōne ejus nihil est, aut aliquid esse reale in se habet. Unde recte dicunt sancti Patres, quidquid a Deo factum non est, vel Deum esse, vel nihil esse: Justinus, in Expositione fidei; Cyril., lib. 1 in Joan., cap. 6; Augustinus, lib. de Trinit., cap. 6. Est autem de fide certum, Deum non fecisse essentias creatas ab æterno, quia neque ex necessitate (ut argumentabamur contra opinionem Scoti attributam), cum de fide sit, Deum nihil agere necessario simpliciter; neque ex libera voluntate; sic enim de fide est, in tempore cœpisse operari. Et præterea est evidens, si essent factæ a Deo essentia rerum ab æterno, etiam ex tunc fuisse existentes, quia omnis effectio ad existentiam confirmatur, ut infra ostendamus. Et confirmatur, quia alias non posset Deus rem aliquam in nihilum redigere, quia semper maneret aliquid rei, scilicet, essentia. Et similiter non creasset Deus omnia ex nihilo, sed ex uno esse transmutasset illa ad aliud esse.

4. Neque aliquid juvat, quod Capreolus supra, ex aliorum sententia, respondet, Deum creasse omnia ex nihilo existentia, non vero ex nihilo essentia. Aut enim quod nil habet existentia, est simpliciter et omnino nihil,

aut non. Si non, ergo absolute et simpliciter non creavit Deus omnia ex nihilo, nec produxit omnia entia, seu omne id quod vere est aliquid reale, et consequenter nullum ens proprie creavit, sed unum ex alio produxit, tanquam ex potentia reali receptiva et improducta, scilicet, existentiam, seu rem existentem ex essentia reali, quæ dicitur esse potentia receptiva ipsius esse, et improducta. Unde ulterius fit, creaturam posse quasi gloriari, quod ex se habeat aliquid quod non habet a Deo, nec participatum ab illo. Hæc autem omnia et similia sunt contra fidem et naturalem rationem. Si vero tandem quis fateatur, illud, quod nihil habet existentia, esse simpliciter et omnino nihil, relinquatur frivolam et vanam esse distinctionem de nihilo essentia et existentia, quia quod est simpliciter et omnino nihil, non potest vere et realiter esse aliquid in aliqua ratione veri entis. Item quia remota existentia et efficientia primæ causæ, nihil omnino manet in effectu, ut ostensum est; ergo neque essentia manere potest sub aliquo vero esse reali distincto ab esse creatoris.

5. Quod tandem in hunc modum declaratur: demus enim essentiam creatam et existentem esse entitatem ex natura rei distinctam ab existentia et separabilem ab illa, et concipiamus illam entitatem essentia, quæ est sub existentia, mente præscindendo unam ab altera, ut, verbi gratia, humanitatem Christi, si illa est entitas tantum essentia; nullus itaque Catholicus existimare potest, illam rem essentia humanitatis, secundum id totum, quod in ea concipitur præcisa existentia, ex æternitate habere actu illam entitatem, solumque illi defuisse unionem ad Verbum, et ad omnem aliam existentiam, alioqui daretur entitas æterna et increata extra Deum; fatendum ergo necessario est, seclusa entitate existentia, quæ per effectiōnem aliquam communicatur creaturæ, ipsam entitatem essentia omnino nihil esse.

*Objectiones contra positam resolutionem.*

6. Contra hanc tamen veritatem obijciuntur nonnulla, quæ parvi momenti sunt; sed ut omnibus satisfaciam, indicabo illa. Primo, quod essentia creaturæ priusquam existat, terminat cognitionem Dei; ut autem terminet, requirit aliquid esse. Secundo, quia prædicata essentialia, ab æterno vere prædicantur aut prædicari possunt de essentia; omnis autem veritas fundatur in aliquo esse. Ter-

tio, quia res creatæ secundum esse essentia collocantur sub certo genere et specie, unde ejusdem speciei est rosa sive existat, sive non existat; imo eadem numero essentia est humanitas Petri creati et creabilis. Ergo in utroque statu retinet aliquam entitatem essentia. Quarto, quia si essentia creaturæ secundum se, et ut obijciuntur simplici intelligentia Dei, nihil reale est, erit ergo ens rationis; quomodo ergo vere dicitur esse aliquid creabile, cum ens rationis nec sit aliquid, nec creari possit? Quomodo item scientia est de ente reali, cum sit proprie de essentia, et non de existentia? Deinde qualiter potest essentia habere in Deo verum exemplar seu causam exemplarem, nam in entibus rationis locum non habet? Tandem communiter distinguitur in creaturis triplex esse, essentia, existentia, et veritatis propositionis, ut videre licet apud D. Thom., in 1, dist. 33, q. 1, art. 1, ad 1; ergo, seclusa existentia, adhuc potest essentia retinere esse essentia, nam hoc non habet ab existentia, sed ex se; ergo, seclusa omni efficientia extrinsecæ, habet tale esse, et consequenter ex æternitate illud habet.

*Respondetur objectionibus.*

7. *Primæ.* — Ad primum, omissis opinionibus Theologorum, quæ superius tactæ sunt, et latius 1 part., q. 14, tractantur, concedo, essentiam creaturæ, sicut est objectum secundarium scientia divinæ, ita illam terminare; non est enim objectum movens, sed terminans tantum. Ad hoc autem nullum reale esse quod actu habeat, necessarium illi est, quia terminare, neque est aliquid in ipsa, neque est aliquid ab ipsa, sed est sola denominatio extrinsecæ a scientia Dei, quæ denominatio in re denominata nihil ponit, neque etiam supponit, per se loquendo, aliquid reale esse, sed tale, quale per scientiam cognoscitur; nam hoc ipsum necessarium est ad scientia veritatem. Cum ergo Deus per scientiam simplicis intelligentia non cognoscat creaturas, ut actu habentes esse aliquid reale, sed potentia tantum, non requirit in illis aliquid esse reale, ut terminent hujusmodi scientiam, sed sufficit esse potentiale, quod ut sic solum est actu in causa, ut recte dixit D. Thom., 1 part., q. 14, art. 9, et 1 cont. Gent., cap. 66. Quod si sit sermo de scientia visionis, qua Deus intuetur res existentes, illa quidem requirit existentiam in objecto, in mensura (ut aiunt) æternitatis; tamen in propria et temporali duratione

non est, nisi pro eo tempore pro quo existere cognoscitur. Atque ita ex vi terminationis scientia non requiritur in re scita aliquid esse reale, sed solum illud quod adæquatam sit scientia, ad veritatem ejus. Quod est evidentius in scientia quam Angelus habet de rosa possibili, aut de futura eclipsi.

8. *Secundæ.* — *Quæ sit æterna propositio- num veritas.* — Ad secundum dicam latius solvendo primam rationem positam præcedenti sectione, in favorem primæ opinionis. Nunc breviter respondetur cum D. Thom., 1 part., quæst. 10, art. 3, ad 3, ab æterno non fuisse veritatem in illis propositionibus, nisi quatenus erant objective in mente divina, quia subjective seu realiter non erant in se, neque objective in alio intellectu. Ut autem vera esset scientia qua Deus ab æterno cognovit, hominem esse animal rationale, non oportuit essentiam hominis habere ex æternitate aliquid esse reale in actu, quia illud esse non significat actuale esse et reale, sed solam connexionem intrinsecam talium extremorum; hæc autem connexio non fundatur in actuali esse, sed in potenciali. Dices, per illam scientiam non cognosci, hominem posse esse animal rationale, sed necessario esse animal rationale; ergo solum esse potentiale non est sufficiens fundamentum ejus. Respondetur negando absolute consequentiam, quia illa necessitas non est absoluta essendi secundum aliquid esse reale in actu, sed quoad hoc est possibilitas tantum; includit tamen necessitatem conditionalem, quia, nimirum, si homo producendus est, necessario futurus est animal rationale, quæ necessitas nil aliud est quam identitas quædam objectiva hominis et animalis, quam identitatem Deus simplicissime cognoscit, nos autem per compositionem, quam significat verbum *est*, quando dicimus hominem ex æternitate esse animal rationale, quod esse pertinet ad illum tertium modum, quo dicitur esse significare interdum veritatem compositionis.

9. *Tertiæ.* — Ad tertium dicendum est, eo modo collocari res possibles nondum factas sub certo genere et specie, quo eis dicuntur convenire, aut vere attribui essentialia prædicata, scilicet, prout objective sunt in intellectu divino, aut alio quopiam; hæc enim coordinatio seu collocatio sub certis generibus et speciebus formaliter non est in rebus, sed in intellectu; habet tamen in rebus fundamentum, vel prout actu existunt, vel prout

existere possunt, et objective terminare scientiam qua cognoscuntur, talis naturæ atque essentialis esse debere, si fiant. Cum ergo dicitur res possibilis, et facta, esse eadem numero vel specie, si sit sermo de identitate reali, seu positiva, falsum est, quia hæc non est nisi inter extrema positiva et realia; negative autem dicuntur esse una res, vel unius speciei, quia res producibilis et producta non sunt duæ res, sed una, neque habent duas species, aut duas essentialias, sed unam; hæc autem unitas seu identitas negativa apprehenditur a nobis ad modum positivæ, quia comparamus rem positivam objective existentem in intellectu ad rem actu existentem, ac si essent duo extrema positiva, cum tamen re ipsa non sint nisi unum, ut magis constabit ex § sequenti.

10. *Quarta.* — Ad quartum respondetur, essentialiam possibilem creaturæ objectivam divinæ scientiæ, non esse ens confictum ab intellectu, sed esse ens revera possibile et capax realis existentiae, ideoque non esse ens rationis, sed sub ente reali aliquo modo comprehendendi. Jam enim supra declaravi essentialiam creaturæ, etiam non productam, esse aliquo modo essentialiam realem. Et in superioribus, tractando de conceptu entis, ostendimus non solum sub illo comprehendendi id quod actu est, sed etiam quod aptum est esse. Unde recte Cajetanus, de Ente et essentia, cap. 4, quæst. 5, ait, ens reale dupliciter accipi: uno modo, ut distinguitur contra ens fabricatum ab intellectu (quod proprie est ens rationis); alio modo, ut distinguitur contra non existens actu. Essentia ergo creaturæ secundum se est ens reale primo modo, scilicet, in potentia, non vero posteriori modo, et in actu, quod est proprie esse ens reale, ut ibidem Cajetanus notavit. Quocirca, si essentia creaturæ præcise ac secundum se sumpta, et nondum facta, consideretur ut actu ens, vel ei tribuatur actu esse, sic vel non est consideranda in se, sed in sua causa, nec habet aliud esse reale ab esse suæ causæ; vel si consideretur ac in se habens esse, sic verum est, secundum eam considerationem, non esse ens reale, sed rationis, quia non est in se, sed objective tantum in intellectu. Dicitur tamen illa natura creabilis vel possibilis, quatenus secundum se realis est, et apta ad existendum, et eodem modo potest habere in Deo reale exemplar; hoc enim non semper representat actuale ens, sed etiam possibile. Ac denique eodem modo, scientiæ, quæ con-

siderant res abstrahendo ab existentia, non sunt de entibus rationis, sed de realibus, quia considerant essentialias reales, non secundum statum quem habent objective in intellectu, sed secundum se, vel quatenus aptæ sunt ad existendum cum talibus naturis vel proprietatibus.

11. *Quinta.* — *Quidnam et quotuplex sit esse essentialis.* — Circa quintum argumentum advertendum est, æquivocationem esse posse in primo membro, scilicet, esse essentialis. Duobus enim modis attribuitur rebus creatis. Uno modo secundum se, etiam ut nondum sunt factæ, neque actu existentes. Et hoc modo esse essentialis non est verum esse reale actuale in creatura, ut demonstratum est, sed est esse possibile, et revocatur ad illud tertium membrum de esse veritatis propositionis seu cognitionis; nam, ut ostendimus, essentialis creaturarum hoc modo tantum habent, vel esse in causa, vel objective in intellectu. Solum potest constitui differentia inter illa duo membra, quod esse in veritate propositionis, non solum habet locum in essentiis realibus, sed etiam in entibus rationis et fictitiis; sic enim est verum cæcitatem esse privationem, et chymeram esse confictum monstrum, et ideo peculiariter tribuitur rebus creatis esse essentialis antequam existant, ut denotetur illam veritatem fundari in esse potentiali apto ad existendum. Alio modo sumitur esse essentialis, ut actu convenit creaturæ jam existenti, et hoc esse est sine dubio reale et actuale, sive re, sive ratione tantum ab existentia distinguatur, quod postea videbimus, quia certum est, in re existente ipsam essentialiam esse actu ens, et consequenter esse essentialis illius esse actuale esse. Hanc tamen actualitatem non habet, nisi per creationem, vel productionem agentis, et ut essentialis re ipsa conjuncta est existentiae. Quocirca, quamvis demus, esse essentialis, hoc modo sumptum, esse actuale esse et distinctum ab esse existentiae, nihilominus verum et certum est principium positum, quod essentialis creaturæ non habet actu hoc esse essentialis, nisi per effectum, et consequenter quod secundum se, et ex se, et ut improducta, nullum esse in actu habet, neque essentialis, neque existentiae. Et hæc distinctio est præ oculis habenda ad tollendam æquivocationem et intelligendam efficaciam rationum, quæ in hac materia fieri solent.

## SECTIO III.

*Quomodo et in quo differant in creaturis ens in potentia et in actu, seu essentia in potentia, et in actu.*

4. In hac sectione, aliud principium et fundamentum eorum quæ dicenda sunt, statuendum est, nimirum, in rebus creatis ens in potentia et in actu immediate ac formaliter distingui tanquam ens et non ens simpliciter. Quæ distinctio ab aliquibus vocatur realis negativa, quia unum extremum est vera res, et non aliud; ab aliis vero vocatur distinctio rationis, quia non sunt duæ res, sed una tantum, quæ per intellectum concipitur, et comparatur ac si essent duæ. Et hoc principium receptum communiter est etiam in Schola D. Thom., ut patet ex Soncinate, 9 Metaphys., quæst. 3, et aliis.

*De potentia objectiva, quid sit.*

2. Ut vero hoc principium, quod valde necessarium est ad ea quæ dicemus, comprehendatur, advertendum est quosdam existimasse, ens in potentia dicere modum aliquem positivum essendi ejus rei quæ in potentia esse dicitur, quod est esse diminutum et imperfectum, comparatum ad illum statum in quo res dicitur esse in actu. Juxta quam sententiam dicendum esset, illa duo esse extrema positiva et realia. Solet hæc opinio tribui Scot., in 2, dist. 16, quæst. 1, § Rationes istæ, quia distinguit potentiam a qua denominatur ens in potentia, a potentia activa et passiva, et ideo vocari solet objectiva, ex eodem Scoto, in 2, dist. 12, quæst. 1, et secundum illum existimatur esse aliquid reale positivum ex parte entis quod in potentia esse dicitur. Sed neque Scotus dixit hoc ultimum, neque ullam in se verisimilitudinem habet. Scotus enim nunquam intellexit potentiam pure objectivam, esse aliquid reale positivum distinctum a causa producente, et præsuppositum ad actionem ejus ex parte rei possibilis. Imo, si attente legatur, aperte id negat dicta dist. 12; solum ergo vocavit ens in potentia objectiva ipsum ens possibile, quia se habet ut objectum potentiae productivæ. Unde solum in nomine differt vocando ens in potentia objectiva, quod nos vocamus ens potentiale, et de illa potentia objectiva existimat loqui Arist., 9 Metaph., cum dicit, potentiam et actum esse in eodem genere; sed

de sensu hujus axiomatis dictum est supra, et ad præsens nihil refert.

3. Igitur, quod illud esse in potentia, seu illa potentia objectiva non possit esse res aliqua vera et positiva in ipsa re, quæ in potentia esse dicitur, primo est evidens ex dictis § præcedenti, quia vel illa potentia est producta, vel omnino improducta; si est improducta, nihil est distinctum a creatore; si est producta, vel ab æterno et ex necessitate, et hoc dici non potest sine errore; vel libere, et in tempore, et sic antequam produceretur, ipsa erat in potentia objectiva, et consequenter res tota, sine tali potentia in re producta, erat in potentia objectiva; ergo hoc esse in potentia objectiva nullam dicit potentiam realem et positivam, quæ actu sit. Secundo, nam vel talis potentia manet in re producta, vel non manet. Si non manet, nihil reale et positivum esse potest; quomodo enim illud ens, quaecumque esse fingatur, si aliquid positivum et reale esset, destrueretur per productionem entis in actu? Si vero illa potentia manet in re producta, jam illa potentia non est objectiva tantum, sed etiam subjectiva, nec res fierent ex nihilo, sed ex præsupposita potentia, tanquam ex subjecto, vel materia ex qua fit res. Tertio, supra ostensum est, in essentiali possibili priusquam fiat, nihil rei esse (proprie loquendo de re positiva et actuali); ergo non potest in ea esse potentia realis positiva; omnis enim potentia realis positiva, est res aliqua vera, seu in aliqua realitate et entitate fundata. Quocirca, ut recte notavit D. Thom., 1 part., quæst. 9, art. 2, creaturæ non dicuntur possibles, nisi per denominationem ab aliqua potentia activa, vel passiva; quando autem hæc denominatio sumitur a potentia passiva, vel a potentia activa causæ secundæ, supponit jam talem potentiam ab alio productam; non potest enim vel causa secunda, vel aliqua potentia passiva realis esse prorsus improducta. Quapropter (ait Div. Thomas) *omnes creaturæ, antequam essent, non erant possibles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit æternum, sed per solam potentiam divinam, in quantum Deus potest eas in esse producere.* Ex parte igitur creaturarum solum supponitur non repugnantia ut ita fiant, quia nihil rei in eis requiri aut supponi potest.

4. Neque illa potentia respectu cujus dicuntur esse in potentia objectiva, potest esse aliquid in ipsis, sed in causa a qua fieri pos-